



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 23. De delictis puerorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

TITULUS XXIII.

De delictis puerorum.

1. Puer doli capax, crimen committens puniendus.
2. Pater ex delicto filii non tenetur.

1. Quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provecioris ætatis severius corrigendum leges statuunt, *c. 2. h. t.* cum tamen furtis, mendaciis & perjuriis plena sit puerilis ætas, *c. 1. h. t.* ideo hic post crimina, quæ in majoribus promiscuè norantur & puniuntur, opportunè quæritur de delictis puerorum, an ii talium criminum rei & obnoxii pœnis haberi possint.

Dicitur autem Puer, qui intra septennium & decimum quartum annum constitutus est, si masculus sit, & inter septennium ac duodecimum, si femina.

Quod si igitur puer crimen aliquod perpetravit, puta furtum, mendacium, homicidium, aut aliud, non debet id manere impunitum, si fuerit doli capax, ut intelligere potuerit, se malè agere, illud committendo, *l. Impuberem 23. D. De furtis.* Mitius tamen puniri par est, quam si ab aliis commissum esset, quia aliquid ætati indulgendum, *d. c. 1. h. t. & l. Infans 12. D. Ad L. Corn. De sicar.* Quin etiam puberes, sed minores xxv. annis, si quid deliquerint: non tam severe puniendi sunt, quàm majores, ut respondit Jusseonius in *l. Auxilium 37. vers. in delictu D. De minoribus.*

2. An verò pater ex delicto filii sive puberis sive impuberis, quem in sua potestate habeat, conveniri possit, quæ situm est. Et respondit Pont. non posse; sed ipsemet filius conveniri debet, *d. c. 2. h. t.* Quod idem etiam jure Civili proditum est, *Insti. De noxalib. actionib. in fine.*

TITULUS XXIV.

De Clerico venatore.

1. Venatio cum strepitu interdicta Clericis.
2. Non etiam quieta & qua sine strepitu fit.

1. Tractat deinceps Pont. de delictis peculiaribus Clericorum, quæ aut non depre-

henduntur in laicis, aut gravius puniuntur in Clericis quàm laicis. Cujusmodi in primis est venatio voluptatis causa suscepta, quæ unà cum canibus, accipitribus, aut aliis ejusmodi ad venandum Clericis interdicitur, *c. 1. & 2. h. t.* quia pugnat cum professione & statu Clericorum. Et ideo si Episcopus sæpius talibus venationibus det operam, tribus mensibus à communione: si verò presbyter fuerit; duobus: si Diaconus aut Subdiaconus, ab omni officio suspenditur, *d. c. 1. & ibid. Abbas & Glossa.* In moribus verò constituti arbitrio Judicis puniri debent, ex quo nulla eis certa pœna statuta est, *arg. c. De causis sup. De officio delegati.*

2. Hæc tamen prohibitio intelligi debet potissimum de venatione saltuosa & clamosa, quæ cum strepitu fit canum & armorum: nam quieta venatio, quæ fit absque strepitu cum laqueis, retibus & paucis canibus, modò etiam raro fiat, nec avocet ab officiis divinis, non est omnino prohibita Ecclesiasticis, sive fiat causa necessitatis, sive exercitii, sive moderatæ recreationis, ut docet Lesh. 2. *De iustit. c. 5. Dubitat. 9. n. 40.* post Abbatem in *d. c. 1. h. t.*

TITULUS XXV.

De Clerico percussore.

1. Clericis interdicta percussio, non moderata correctio.

Sicut Clericis interdicta est venatio, ita & percussio: adeo ut, si Clericus percussor mortuus non desistat, jubeatur deponi, *c. 1. h. t.* & si Episcopus jusserit aliquem eadè crudeliter fustibus, ab administratione Missarum duobus mensibus suspendi, *c. 2. h. t.* Nam Clericos ita decet mansuetudo vigorque disciplina, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta, *can. Sunt namque 15. Dist. 45.* & sibi subiectos malè meritis non tam verberibus quàm verbis corrigere debent, *can. 2. & alii d. Dist. 45.*

Permittitur tamen Clericis levis & moderata percussio: modo Episcopus non percutiat propriis manibus, sed per alium, qui non sit laicus, *c. Vniversitatis inf. De sent. excommunicat.* Sic Abbates & Priores sæpius Monachos suos verberant & castigant.

TITU-